



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De furibus, qui in Traiecto crucem furati sunt, & suspensi, cap. 21.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

stenderet, quicquid eius imagini iniuriæ vel contemp-
tus irrogatur, egit sua potentia, vt de singulis punctio-
nibus sanguis vbertim emanaret. Semel adhuc
mortalis confixus atque lanceatus est in terris, & ta-
men quotidie sedens ad dextram Patris se configi-
Mala. 3. per prophetam conqueritur, dicens: Et me vos con-
gitis gens tota die. Quanta verò pœna tales sequatur,
sequens miraculum declarat.

CAPVT XXI.

A Pud inferius Traiectum hoc anno, sacrarium
in ecclesia sancti Martini fures effringentes,
quosdam thesauros, vnâ cum cruce preciosissi-
ma, gemmis & auro decorata, asportauerunt: qui cum
essent plures, duobus crucem committentes, ipsi cum
thesauris abierunt. Manè, cum tantum sacrilegium
ad notitiam Episcopi atque canonicorum peruenis-
set, dolentes valde, maximè de cruce, ob portionem
ligni Dominici, milites per diuersas vias miserunt,
qui fugientes insequerentur. Hi verò, qui crucem por-
tabant, per stratum publicam apertè incedebant: ad
quos cum peruenissent milites, nil de eis mali suspi-
cantes, pertransierunt: Christus verò, in quem pecca-
uerunt, fures à sensu alienauit, gressum fixit, ita vt à
strata declinantes paludè intrarent, nec tamen moris
pedibus procedere possent. Altera verò die, prædicti
milites reuersi, cum eos penè in eodem loco & maxi-
mè lutum calcando vidisset, mirati dixerunt: Isti sūt quos
heri hîc dimisimus. Ad quos cum vnus clamasset: Boni
homines, malè inceditis, quare non ascenditis strata
tritam? responderunt illi; Bene incedimus, non vos
solicitet iter nostrum. Tunc vnus ex militibus, Deo
inspirante, dixit ad socios: Aliquid istud portedit, for-
sitan rei sunt, teneamus illos: ad quos cum descende-
runt, illi crucem paludi immerferunt: interrogati ve-
rò de furto, responderunt: Nos crucem tulimus, vbi
sit scimus, sed nisi certi de vita simus, nunquam illam
vobis ostendemus. Quid plura? Ducuntur ad Episco-
pum, gratia crucis, promittitur immunitas, crux ostē-
sa reportatur, extra prouinciam cōducuntur. Et quia
iustus

Iustus iudex nullum peccatum relinquit inultum, & sæpe peccato punit peccatum, permittit, vt sequenti die iterum ecclesiã effringerent, in qua capti sunt, & suspensi. APOLLONIUS: Satis euidentis fuit hoc miraculũ. CAESARIUS: Tanta est virtus crucis, vt & suis contemptoribus, vt dictum est, inferat pœnam, & venerantibus illam, restituat sanitatem.

CAPVT XXII.

CVM Scholasticus Colonienſis Oliuerus crucem prædicaret in Flandria, sicut ipse nobis retulit, inter reliquos, signatus est ibi miles diues & honestus: quod vbi vxor eius comperit, afflicta est vsq; ad mortem: erat enim vicina partui. Ad quam Oliuerus consilio mariti ingressus, inter verba consolationis addidit & hæc: Si consilio meo acquieueris, & virum tuũ Christo militare permiseris, ab imminente periculo sine dolore liberaberis. Cumque illa verbis eius placata fuisset, Scholasticus subiecit: Tempore partus, veste mariti tui signata te contegas, & crucis virtutem senties; solebat enim cum maximis cruciatibus patere. Mira Christi clementia: instante hora pariendi, illa non immemor consilij, pallio viri sui se textit, & penè sine omni dolore partum effudit. Alia de cruce æquè miraculosa in sequentibus tibi recitabo, quia ad elementorum miracula festino. APOLLONIUS: Quot sunt elementa? CAESARIUS: Quatuor, ignis videlicet, aer, aqua, terra, in quibus videtur temporibus nostris impleri hoc, quod per Saluatorem in Euangelio dicitur: Erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus, præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi, & reliqua quæ ibi sequuntur. Alibi prædicat bella, & terræ motus per loca, pestilentias, & famem, terrorésque de cælo, & signa magna: licet hæc omnia ante diẽ iudicij plenius sint implenda, ex parte tamen ea vidimus impleta, secundum quod subiecta declarabunt exẽpla. Vidimus enim signa stellarũ, & pressuras gentium, audiuimus sonitus maris & fluctuum,

*De elementis
in genere.
Luc. 21.*

Ibidem.